

1525  
Petrus Pe-  
sareus a Ve-  
netis Me-  
diolanum  
missus.

Ea re in consultationem adhibita , placuit , ut Petrus Pesareus legatus Mediolanum renovandi foederis causa proficisceretur , cui per ampla a Senatu cum Prorege pacisendi auctoritas impertita fuit ; dummodo mandata , quæ ad negotium peragendum requiri solent , non desiderarentur . Verum cum nullam Prorex a Cæsare tanta in re conficienda auctoritatem haberet , mora , ac novis eventibus nihil perfici potuit .

Franciscus  
rex capti-  
vus Pisleo-  
nem perdu-  
citur.

Interea Franciscus Galliarum rex qui post Ticinensem captivitatem Pisleonem perductus , regio cultu exceptus , & honorificentissime habitus fuerat , summo studio , ac diligentia in arce servabatur . Is cum primum eo post prælium perductus fuisset , literas ad matrem dederat , ut nuntiis Cæsareanis in Hispaniam proficiscentibus , tutum per Gallias iter agere licaret , eo gratiam Caroli Lanoji Proregis sibi conciliatum iri sperans , auctoritateque illius libertatem a Cæsare adepturum . Id non modo ultro a Regina concessum est ; sed etiam per eundem , qui victoriæ nuntium ad Cæsarem ferebat , literæ additæ , quibus illum enixe obsecrabat , ne in tanta victoria , tam secundis rerum eventibus humanæ fortis oblivisceretur , Regemque sibi affinitate conjunctum , in illius manus prolapsum , clementia , & mansuetudine , quæ vere imperatoriæ virtutes sunt , erigeret , ac recrearet : tempus affore , quo illi pro immortali beneficio non inferior gratia redderetur . Cæsarem tantæ victoriæ nuntio accepto , fama fuit , nullum lætitiae signum , ne vultu quidem , dedisse ; sed immobili , quam in utraque fortuna gerebat , animi constantia gestientis gaudii stimulos cohibusse ; & ne publica , quæ assolent , a populis victoriæ argumenta ignium , æris campani , ludorum , spectaculorumque ederentur , penitus prohibuisse : suppliciis tantum Deo Optimo Maximo Cælitibusque decretis , qui sua illum providentia complexi aditum perhonorificum ad pacem Italiæ , atque totius Reipublicæ Christianæ firmandam aperuissent . Ceterum rex moræ impatiens , cum varia ob impedimenta , & difficultates libertatem sibi aut differri , aut negari animadverteret , in dies animi , mentisque curis contabescebat ; nunquam e captivitate solutum iri arbitratus , nisi Carolum alloquendi sibi potestas permetteretur : quam obrem ut in Hispaniam ad Cæsarem perduceretur , a Prorege eni-